



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.29. Sigeberti Mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

## §. XXIX.

*Sigeberti Mors.*Sæculum VI.  
A. C. 574.

Cum Concilium Parisiense exorta inter Sigebertum & Chilpericum <sup>Greg. IV. hist. c. 42.</sup> iurgia componere non potuisset, duo Principes in bellum cruentum proruperunt, quod Ecclesias, ut ait Gregorius Turo- nensis, pejus afflixit, quam olim Persecutio Diocletiana. Theodebertus Chilperici filius agros Lemovicenses & Cadurcenses populatus, Ecclesias incendit, Vasa Sacra abstulit, Clericos occidit, expulit Monachos, Virgines Sacras violavit. Sigebertus omnibus Provinciis Parisios usque vastationem attulit. Hinc S. Germanus datis ad Brunehildem Reginam Sigeberti Conjugem litteris per Sacra omnia rogat, ut Regis animum potius ad pacem ineundam inclinaret, quam <sup>c. 44.</sup> ad bellum, cui faces subdere accusaretur, impelleret. Cogitare jubet, quam <sup>to. 5. Cone. p. 923.</sup> erubescenda sit victoria de fratre reportata, & quantum rebus suis uterque noceat, dum Domum propriam demolirentur, & pessumdarent relictam sibi a Parentibus Hæreditatem, quam filiis custodire oporteret. Incassum cecidere S. Viri preces. Sigebertus favente fortuna <sup>Greg. IV. c. 45.</sup> uti voluit atque Chilpericus Parisiis Rothomago & toto pene Regno pulsus Civitatis Tornacensis munimentis se includere

Sæculum VI. A. C. 575. c. 46. dere coactus est. Sigebertus Parisios intravit, Brunehildis quoque cum liberis advenit. Ille præmissis copiis, quæ Chilpericum in urbe Tornacensi obsiderent, cum jam viæ se accingeret, obsidioni adfuturus, a S. Germano sibi occurrente monetur: *Si vitam Fratris tui servaturus es, vives, & victor redibis, sin aliter, moriere.* Sigebertus spreto Viri Sancti consilio Vitriacum haud procul Duaco pervenit; at ecce dum totius Neustriæ Franci Regem novum recipiunt, dum saluant, & in scuto attollunt, ut ab omnibus conspiceretur, paulo post incautum duo Sicarii a Fredegunda Chilperici Uxore immissi obruncant. Annusolvebatur Regni ejus decimus quartus Christi 575. Filium ejus Childebertum quinquennem, Parisiis evocatum, Regem proclamarunt. Remansit ibi Brunehildis, quam Chilpericus haud diu postea adveniens Rothomagum in Exilium misit. Interim copiarum parte Meroveo filio suo tradita jubet in agrum Pictaviensem movere. Verum Princeps juvenis cum Turonem pervenisset, simulans, ire se ad Matrem suam Audoveram, qua repudiata, & Cenomanum relegata, Chilpericus Fredegundam duxerat, Rothomagum venit, & fœdere cum Regina Brunehilde inito Conjugem accepit, Patruï viduam. Chilpericus hoc facto  
vehe-

Greg. V.  
hist. c. 1.

c. 2.

vehementer offensus Rothomagum con-  
tendit. Meroveus & Brunehildis ad Ec-  
clesiam S. Martini intra muros illius Ci-  
vitatatis constructam confugiunt, cumque  
trepidantes & sibi caventes Chilpericus  
dolo permovere non posset, ut exirent,  
edito juramento promisit, si Dei volun-  
tas esset, ut in conjugio viverent, non  
coacturum se eos, ut separentur, scili-  
cet, si Matrimonium eorum legitimum  
judicaretur. Ipsi jurata Regis Fide ac-  
cepta ex Ecclesia prodierunt. Chilpe-  
ricus ambos amplexu strinxit, & convi-  
vio adhibuit. Tum Brunehilde Rotho-  
magi relicta Meroveum Sueffionem ab-  
duxit. Accidit vero, ut non multo e-  
lapso tempore latrones Regem aggredie-  
rentur; exinde suspicione de Meroveo  
concepta, arma quibus accinctus proce-  
dere solebat jussit auferri, & custodes  
dedit. Postea eundem tonsura insigni-  
ri, & vestem clericalem induere præcep-  
it, tandem Presbyterum ordinatum  
Meduanam in Monasterium S. Calesii  
misit, vitæ Ecclesiasticæ institutis im-  
buendum.

Sæculum VI.  
A. C. 575.

c. 3.

§. XXX.

*S. Germani Parisiensis obitus.*

Sanctus Germanus Episcopus Parisiensis  
e vivis excessit anno 576. 28. Maji die,  
qua ipse prædixerat; nam paucis ante o-  
bitum

Greg. V.

hist. c. 8.

Fortun. vit.

in fin.